QUAM RATIONEM
ARISTOTELES
INTER VIRTUTES ETHICAS ET DIANOËTICAS INTERCEDERE STATUERIT.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS AMPLISSIMO IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA PHILOSOPHORUM ORDINI TRADIDIT ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE IV MENSIS SEXTILIS ANNI MDCCCXCIII HORA XII PUBLICE DEFENDET SCRIPTOR

JOSEPHUS ARNS
GUESTPHALUS.

ADVERSARII ERUNT
STEPHANUS LEY CAND. PHILOL.
JOSEPHUS MOHNEN CAND. PHILOL.
FRIDERICUS BERCKMANN CAND. PHILOL.

BONNAE
TYPIS PETRI HAUPTMANN
MDCCCXCIII.

PATRI CARISSIMO

S.

Si quis Ethicorum Nicomacheorum libris accuratius perlectis multas illas quaestiones, quas doctissimi viri in disciplina de virtutibus ethicis et dianoëticis tradita protulerunt, menti subjecerit, concedet complures easque gravissimas contineri hac una, quam rationem Aristoteles inter virtutes ethicas et dianoëticas intercedere censuerit. Hanc igitur rationem exponere in animo est. Quam rem patet perfici non posse, nisi, quid Aristoteles de utroque virtutis genere docuerit, accurate cognoverimus; hoc autem ut cognoscatur, ab ipsis doctrinae moralis Aristotelicae principiis repetendum est. [a])

I. De rerum ad disciplinam moralem pertinentium principiis.

In tractanda disciplina morali Aristoteles, ut par fuit, proficiscitur a proponendo principio, a quo hujus disciplinae materia pendeat. Omnis, inquit, ars omnisque cognitio, pariter omnis voluntas omnisque actio bonum aliquod appetit. Cum autem multa sint, quae alius rei adipiscendae gratia appe-

---

a) In hac dissertatione praeter Aristotelis ipsius libros adhibui hos: *Walter*, Die Lehre von der praktischen Vernunft in der griechischen Philosophie. Jena 1874. *Teichmüller*, Neue Studien zur Geschichte der Begriffe. III. Die praktische Vernunft bei Aristoteles, Gotha 1879. *Susemihl*, Studien zur Nic. Eth. in Ann. philol. CXIX 1879 p. 737 sqq. *Zeller*, Philosophie der Griechen. *Prantl*, Ueber die dianoëtischen Tugenden in der Nicom. Eth. des Aristoteles, München 1852. *Hartenstein*, Ueber den wissenschaftlichen Werth der Aristotelischen Ethik. Leipzig 1859. *Neuhäuser*, Aristoteles' Lehre von dem sinnlichen Erkenntnisvermögen und seinen Organen. Leipzig 1878.

Omnino autem id egi, ut ex Aristotelis ipsius verbis res proposita patefieret.

tantur, ne appetitus infinitus sit, esse oportet, quod sua ipsius gratia appetatur ideoque summum bonum sit sive finis bonorum. Hoc igitur summum bonum est perfectum quoddam, est tale, quod ipsum propter se semper deligatur ac nunquam propter aliud, quod ipsum per se semper satis esse nullamque rem externam desiderare videatur. Hujusmodi autem non est nisi beatitudo. [1])

Quid autem sit beatitudo, id intelligi dicit, si reputetur, quodnam sit opus hominis proprium. Jam vitam vegetativam ei communem esse cum plantis, sensitivam cum animalibus, ita ut relinquatur solum ζωὴ πρακτική. Itaque opus hominis proprium esse effectionem muneris animo humano propositi rationi consentaneam, vel certe ratione non carentem. Quoniam autem, ut recte aliquid ac bene efficiatur, ab efficientis virtute pendeat, hominis bonum esse effectionem muneris animo propositi virtute directam, ac si complures sint virtutes, virtute optima atque perfectissima, praeterea in vita perfecta. Actiones autem virtuti consentaneas per se esse jucundas, bonas, pulchras. [2])

Hoc est illud συμπέρασμα, quo Aristoteles τὸ ἄριστον τέλος i. e. τὴν εὐδαιμονίαν definit. Cujus gravissimam partem τῇ ἀρετῇ tribuit, quam voluptas necessario consequatur. [3])

II. Qua ratione rerum ad disciplinam moralem pertinentium fiat cognitio.

Antequam ad ipsam virtutem humanam explicandam aggrediamur, paucis exponendum videtur, quo modo Aristotelis sententia rerum ad mores pertinentium cognitio oriatur. Id enim in omni doctrina plurimi facit, non solum res, in quibus doctrina versatur, cognoscere, verum cognoscere etiam rationem ac viam, qua ad rerum cognitionem perveniatur

[1]) Eth. Nicom. 1097 b 20.

[2]) 1098 a 15 sqq. 1099 b 26. 1100 a 3.

[3]) 1100 b 6.

Jam vero ea, in quibus doctrina moralis versatur, non ad ea, quae semper ac necessario (ἀεὶ καὶ ἐξ ἀνάγκης), neque ad ea, quae fortuito (ἀπὸ τύχης) fiunt, pertinent, verum ad ea, quae plerumque (ὡς ἐπὶ τὸ πολύ) eveniunt. Haec autem non cognoscuntur nisi *experientia*, ex qua deinceps ad eorum quae hoc modo cognita sunt, principia progrediendum est. Unde patet in disciplina morali non eam, quae in multis scientiis theoreticis cernitur, rectitudinem et subtilitatem exhiberi posse. Testimonio est, quod de iis, quae justa atque honesta vel bona sint, tam diversa est diversorum hominum opinio, ut justa atque honesta non natura sed hominum solum aestimatione esse videantur.

Jam vero ipse Aristoteles ea quae disputavimus, brevissimis verbis sic fere comprehendit: Scientia moralis pariter atque omnis scientia quaerit id, quod *generale* est, quo singula quaeque tamquam principio continentur atque explicantur. Ratio autem cognoscendi ea est, ut progrediendum sit non ἀπὸ τῶν ἀρχῶν, sed ἐπὶ τὰς ἀρχάς, non ἀπὸ τῶν ἁπλῶς γνωρίμων sed ἀπὸ τῶν ἡμῖν, ut igitur de ipsis principiis non τὸ διότι sed τὸ ὅτι solum intelligatur. Inde sequitur quod antea jam diximus, ut scientia moralis experientia nitatur. Atque hinc rursus sequitur ut nemo disciplinam moralem intelligere possit nisi is, qui jam rerum in ea tractandarum experientiam nactus sit, id est, qui eas jam usu atque consuetudine cognoverit. Quare Aristoteles diserte dicit, nemini hanc disciplinam moralem usui esse nisi ei, qui jam recte eruditus sit sive jam recta ratione utatur.

III. De principiis psychologicis.

Cum virtus omnino ad animam pertineat, cujus quaedam qualitas sive comparatio sit, virtutum divisio nititur omnino divisione quadam psychologica. Discernit autem Aristoteles animi humani duas partes, alteram rationis expertem, alteram rationis participem (τὸ ἄλογον — τὸ λόγον ἔχον). Prioris autem partis rursus partes duae discernuntur, quarum

altera, τὸ θρεπτικόν, complectitur vitam vegetativam hominibus cum plantis atque reliquis animalibus communem, quae quidem ad nostram causam non pertinet. In altera autem, τῷ ἐπιθυμητικῷ καὶ ὅλως ὀρεκτικῷ, quamquam hominibus cum reliquis animalibus commune est, tamen in hominibus inest facultas quaedam oboediendi rationi ita ut etiam appetitio rationis particeps fieri possit.[1])

Verbis: ‚τὸ ἐπιθυμητικὸν καὶ ὅλως ὀρεκτικόν' Aristoteles significat illud, ad quod universam τὴν ἠθικὴν ἀρετὴν referri mox discemus. Qua de causa accuratius de eo disserendum est.

Verba ipsa jam indicant, τὸ ὀρεκτικὸν praeter ἐπιθυμίαν etiam alia continere. Quae eo contineantur, discimus e lib. de anima II. cap. III.: ὄρεξις μὲν γὰρ ἐπιθυμία καὶ θυμὸς καὶ βούλησις.[2]) Haec respiciens dixerit forsitan aliquis Aristotelem praeter ἐπιθυμίαν etiam τὸν θυμὸν atque τὴν βούλησιν τῷ ὀρεκτικῷ soli tamquam parti cuidam animae seorsum constanti adscripsisse. Ac profecto dicit Walter: „Der Wille als zwecksetzende Thätigkeit involviert an sich gar keinen Vernunftbegriff, sondern ist eine Function des unvernünftigen Seelenteils, der ὄρεξις."[3]) De qua sententia quid judicandum sit, dicemus, cum vim ejus notionis perpenderimus, quam Walter: ‚zwecksetzende Thätigkeit' appellat. Aristotelem autem non hac fuisse opinione, patet ex loco gravissimo de an. III. 9: καὶ ἄτοπον δὴ τὸ τοῦτο διασπᾶν. ἔν τε τῷ λογιστικῷ γὰρ ἡ βούλησις γίγνεται καὶ ἐν τῷ ἀλόγῳ ἡ ἐπιθυμία καὶ ὁ θυμός. εἰ δὲ τρία ἡ ψυχή, ἐν ἑκάστῳ ἔσται ὄρεξις.[4]) Quibus quid voluerit Aristoteles, non inter omnes constat. Susemihl vertit: „Man darf das Begehrungsvermögen nicht auseinanderreissen; das müsste aber bei der platonischen Dreiteilung oder einer solchen Zweiteilung der Seele, welche die beiden von ihm angenommenen unvernünftigen Teile in einen zusammenfasst, geschehen; denn bei dieser Teilung kommt der Wille der

---

[1]) 1102 b 13, 1102 b 23, 1102 b 30.

[2]) 414 b 2.

[3]) Lehre von der praktischen Vernunft in der griechischen Philosophie, p. 204.

[4]) 432 b 4.

Vernunft zu, das Gemüt und die Begierde dem anderen oder den beiden anderen Teilen. Dass Aristoteles in der Topik IV. 5. 126 (hic legimus: πᾶσα βούλησις ἐν λογιστικῷ) es angemessen findet, die platonische Einteilung statt seiner eigenen zu benutzen, kann natürlich für diesen seinen eigenen Standpunkt nichts beweisen." [5]) Patet, hac Susemihlii sententia Aristoteli nimiam tribui inconstantiam, quippe qui sententiam altero loco refutatam altero comprobare dicatur. Quid? quod rhet. I. 10 (1369): τὰ μὲν διὰ λογιστικὴν ὄρεξιν τὰ δὲ δι' ἄλογον· ἔστιν δ' ἡ μὲν βούλησις, ἄλογοι δ' ὀρέξεις ὀργὴ καὶ ἐπιθυμία legimus, nonne hoc idem valet atque illud, quod illo de an. loco II. 3. dicitur? [2]) Inde quod Aristoteles appetitum in rationalem et irrationalem dividit non sequitur ut statuerit, quod Susemihl contendit: „Der strebende Teil, τὸ ὀρεκτικόν, zerfällt in Willen, Gemüt und Begierde." [6]) Nam plane diversum est dicere: ἡ ὄρεξις est aut βούλησις aut ἐπιθυμία atque θυμός, atque dicere: τὸ ὀρεκτικὸν dividitur in βούλησιν, θυμὸν atque ἐπιθυμίαν. Itaque dubitari non potest, quin sententia illa e lib. de an. allata: in animi humani parte rationis experte esse τὴν ἐπιθυμίαν atque τὸν θυμόν, in altera autem ratione utente τὴν βούλησιν, ipsius Aristotelis sit.

Quaeritur autem, quid valeat illud: καὶ ἄτοπον δὴ τὸ [a]) τοῦτο διασπᾶν. Quod ut intelligatur, universa sententiarum continuatio spectanda est. Itaque Aristoteles, cum de animae partibus quaerat, vituperat eam rationem, qua Plato in constituendis animae partibus usus sit. Primum enim secundum Platonis dividendi principium plures effici animae partes, quam ille ipse posuerit, in primis τὸ ὀρεκτικόν, quod sua et natura (δυνάμει) et notione (λόγῳ) a reliquis omnino diversum sit. Deinde autem — atque hoc est quo ipso nostra quaestio continetur — id in Platonis ratione absurdum esse, quod τὸ ὀρεκτικόν, quod per se aliquod unum sit, omnibus animae

[5]) Studien zur N. E., in Ann. philol. CXIX. p. 737 sqq.

[6]) l. l. p. 743.

a) τὸ Torstrikius ex aliquibus codd. addit. Atque meo quidem judicio recte; namque respicitur ad id quod Plato fecit; is enim eo quod partes animae constituit τὸ λογίστικόν, τὸ θυμικόν, τὸ ἐπιθυμητικόν, re vera τὸ ὀρεκτικὸν διασπᾷ. Vox τοῦτο autem retinenda est.

partibus, τῷ ἀλόγῳ et τῷ λόγον ἔχοντι, commune, in duo genera seorsum posita quasi dilaceraverit (ἄτοπον τὸ τοῦτο διασπᾶν). Cum enim Plato tres statuit animae partes: τὸ λογιστικόν, τὸ θυμικόν, τὸ ἐπιθυμητικόν, non animadvertens τὸν θυμὸν et τὴν ἐπιθυμίαν nihil aliud esse nisi differentias τοῦ ὀρεκτικοῦ, id autem ad τὸ λογιστικὸν quoque pertinere, τὸ ὀρεκτικὸν statim in duo divellit genera omnino separata, τὸ θυμικὸν et τὸ ἐπιθυμητικόν, haecque duas ponit separatas animi partes nulla communi notione conjunctas, tertiae autem animae parti, rationali, simpliciter coordinatas. Hanc igitur Platonis dividendi rationem Aristoteles ita impugnat, ut τὸ ὀρεκτικὸν dicat esse aliquid commune, quod pariter ad omnes animi partes, et ad rationalem et ad irrationalem pertineat atque in illa quidem βούλησις, in hac autem tum θυμός tum ἐπιθυμία sit. [b])

Hinc autem patet etiam contra Walterum τὸ ὀρεκτικόν, id est voluntatem et appetitum non esse vim quandam per se constantem atque absolutam, quae ex se sola quasi volendi atque appetendi actiones pariat, verum conjunctam esse in rationali animae parte cum ratione, in irrationali cum sensu et phantasia, sine quibus non agat.

Jam vero his disputatis facile intelligitur, quae ab Aristotele in ipso animo principia actionum sive justarum sive injustarum ponantur. Ipsum principium agendi est τὸ ὀρεκτικόν, id est vis appetendi ac volendi animo insita, nec tamen τὸ ὀρεκτικὸν per se solum, sed conjunctum in parte rationali cum *ratione*, in parte irrationali cum *phantasia* quibus dirigitur. Ad quam rem et probandam et explicandam sufficiet, eos afferre Aristotelis locos, quibus maxime tota res continetur. E quibus locis simul patebit, quae inter τὸ ὀρεκτικὸν in anima rationali et in irrationali intercedat ratio.

---

b) In universum quidem recte sed parum subtiliter Trendelenburgius p. 441 adnotat: ‚Τὸ ὀρεκτικὸν tribus Platonis generibus inesse cunctis, ut non omnino diversa eorum sit natura, eoque quasi communi vinculo teneantur, Aristoteles acute significavit. Ac pergit: ‚Τὸ ὀρεκτικὸν igitur, quamquam diversa ejus a tribus (sive a duobus) partibus est notio, si animus in partes dirimeretur, a semet ipso descisceret.'

Dicit igitur Aristoteles 433b10: ‚εἴδει μὲν ἓν ἂν εἴη τὸ κινοῦν, τὸ ὀρεκτικὸν ᾗ ὀρεκτικόν.' 433b7: ‚ὅλως μὲν οὖν ᾗ ὀρεκτικὸν τὸ ζῷον, ταύτῃ αὑτοῦ κινητικόν.' Verum τὸ ὀρεκτικὸν non per se solum principium agendi est, sive non per se solum movet, sed ipsum movetur sive in actum perducitur τῷ ὀρεκτῷ, id est re appetitioni objecta. Hanc autem rem appetitioni objectam oportet animo appetenti aliquo modo apparere, in ejus conspectu sive cognitione esse, hoc est, oportet ejus in animo aliquam aut notionem aut phantasiam esse. 433b10: εἴδει μὲν οὖν ἓν ἂν εἴη τὸ κινοῦν, τὸ ὀρεκτικὸν ᾗ ὀρεκτικόν, πρῶτον δὲ πάντων τὸ ὀρεκτόν· τοῦτο γὰρ κινεῖ οὐ κινούμενον τῷ νοηθῆναι ἢ φανθασθῆναι'. ibd. b 28: ‚ὀρεκτικὸν δὲ οὐκ ἄνευ φαντασίας· φαντασία δὲ πᾶσα ἢ λογιστικὴ ἢ αἰσθητική.' 433 a 15: οὗ γὰρ ἡ ὄρεξις, αὕτη ἀρχὴ τοῦ πρακτικοῦ νοῦ. (de intellectu practico infra agetur.) —— ‚τὸ ὀρεκτὸν γὰρ κινεῖ, καὶ διὰ τοῦτο ἡ διάνοια κινεῖ, ὅτι ἀρχὴ αὐτῆς ἐστιν τὸ ὀρεκτόν· καὶ ἡ φαντασία ὅταν κινῇ, οὐ κινεῖ ἄνευ ὀρέξεως (si quidem eo solum movet, quod quasi ostendit τὸ ὀρεκτόν.) ib. 27. ‚διὸ ἀεὶ κινεῖ μὲν τὸ ὀρεκτόν, ἀλλὰ τοῦτ᾽ ἐστιν ἢ τὸ ἀγαθὸν ἢ τὸ φαινόμενον ἀγαθόν' 431 a 14: τῇ δὲ διανοητικῇ ψυχῇ τὰ φαντάσματα οἷον αἰσθήματα ὑπάρχει. ὅταν δὲ ἀγαθὸν ἢ κακὸν φήσῃ ἢ ἀποφήσῃ, φεύγει ἢ διώκει: διὸ οὐδέποτε νοεῖ ἄνευ φαντάσματος ἡ ψυχή'.

Jam breviter Aristotelis sententiam sic possumus comprehendere: Principium agendi animo insitum unum est, τὸ ὀρεκτικὸν ᾗ ὀρεκτικόν; hoc ipsum autem τῷ ὀρεκτῷ, quae tamquam causa finalis, τὸ ὀρεκτικὸν in actum perducit.

IV. De virtute ethica.

Jam principiis illis expositis transeamus ad ipsam ethicam virtutem illustrandam. Cujus notionem ut patefaciat, Aristoteles primum constituit genus, deinde hoc ipsum accuratius describit.

Ad constituendum genus, quo virtus contineatur, proficiscitur ab enumeratione eorum, quae in animo inveniantur. Sunt autem haec tria, πάθη, δυνάμεις, ἕξεις. Definitionibus pro-

positis concludit, virtutem nec πάθος nec δύναμιν, sed ἕξιν esse, id est habitum quendam, quo animus ad rectum quendam agendi modum dispositus atque praeparatus efficiatur. (Eth. Nic. I. 2.)[1] Cum autem virtus non sit affectus (πάθος), tamen omnino pertinet ad affectus; est enim talis animi habitus, quo ad affectus recte se habet vel affectuum respectu recte agit. (Eth. Nic. II. 5.)[2] Quaeritur qualis habitus sit, sive qua differentia ab aliis habitibus differat.

Jam in omnibus affectibus est aliquid continui a minore gradu ad majorem progredientis. In omni autem continuo tria discernenda sunt, duo extrema et id quod inter ea medium est. Jam vero hoc inter duo extrema medium duplicis est generis, ‚τὸ κατ᾽ αὐτὸ τὸ πρᾶγμα' et ‚τὸ πρὸς ἡμᾶς'; hoc est: aut refertur ad ipsam rem continuam sive, ut accuratius dicam, ad ipsam rei alicujus vel magnitudinem vel multitudinem, aut refertur ad nos, sive, ut generaliter dicam, ad talem rem, quae ipsa certam habet naturam, qua quidquid in hac re inest, ad certum modum dirigitur.

Atque illud medium, quod in aliqua magnitudine per se spectata cernitur, omnino pendet ab extremorum distantia estque id, quod ab utroque extremo pariter distat; atque hoc ab omni boni malique, virtutis vitiique notione alienum est. Alterum autem medium, id quod refertur ad nos, vel in universum ad rem sua propria natura ac notione utentem, veluti imprimis ad hominem, omnino ipsa hujus rei natura ac notione definitur. Namque in tali re, si quid inest quod et majus et minus esse potest, velut quaedam appetitio vel affectio, id oportet ab ipsa rei notione rectum quendam modum accipere, ut cum illa notione consentiat, et quatenus sua magnitudine hunc modum aut excedit aut eum non adsequitur, eatenus aut nimium aut parum est. Hic igitur quem diximus modus aliquid medium est atque medium quidem inter nimium et parum, (ὑπερβολὴν καὶ ἔλλειψιν)[3] quae quidem duo extrema non medio illi locum adsignant, sed ipsa e medio

[1]) 1105 b 19.
[2]) 1106 b 16 et 24.
[3]) 1106 b 5.

cognoscuntur. Jam vero facile patet, hoc medium finiti, pulchri, boni, duo autem illa extrema infiniti et mali naturam habere.

Atque nunc jam definitionem virtutis supra inchoatam absolvere possumus. Virtutem Aristoteles dixit animi habitum (ἕξιν), quae ad affectus ipsi insitos pertineret. Jam vero omnem affectum vidimus naturam continui a minore gradu ad majorem progredientis habere et idcirco in omni affectu et nimium et parum et inter utrumque medium esse posse. Itaque Aristoteles virtutem nunc jam definit eum animi habitum, quo is in omnibus affectibus, quid inter nimium et parum medium sit, certe et inveniat et eligat. Ipsius Aristotelis verba sunt haec: Ἔστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, (,τευκτικὴ τοῦ μέσου' bene dicitur 1106 b 28) ὡρισμένῃ λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν.[4])

Eo quod in hac definitione ad ,μεσότητι' additur ,ὡρισμένῃ λόγῳ' ct., statim indicatur, qua ratione animus ad medii illius cognitionem perveniat; de qua re sequenti capite disputabitur. Patet autem etiam hoc loco, ethicam virtutem esse non posse sine ratione, quaeque in ea rationis partes sint, id quod in singularum quoque virtutum descriptione apparet. In universum Aristoteles rationis in virtutibus partes ita designat ut dicat, quem ad modum ratio indicet et jubeat, ita agendum esse. Ut puerum, inquit, oportet ex educatoris praeceptis vivere, sic τὸ ἐπιθυμητικὸν cum ratione concinere oportet. Affectus omnino naturalis est; sed qui ex affectu recte agit, tamen non jam agit honeste vel ex virtute. Accedere enim oportet τὸ οὗ ἕνεκα atque ἡ προαίρεσις.[5])

V. De recta ratione.[1])

Superiore capite vidimus, quid in affectibus inter nimium et parum medium sit, in quo eligendo virtus ethica cernatur,

---

[4]) 1106 b 36. ὡρισμένῃ Ald. Alex. Aphr. Qu. nat. et mor. Spengel. sic scribendum. ὡρισμένη Bk. Rr. in textu.

[5]) 1117 a 6—10.

[1]) Eth. Nicom. lib. VI. cap. I et II.

efficiendum esse ratione (λόγῳ). Antea autem (cap. III.) cum de agendi principio ipsi animo insito ageremus, vidimus, hoc principium esse τὸ ὀρεκτικόν, id est vim appetendi et volendi, quae et in rationali et in irrationali animae parte insit, τὸ ὀρεκτικὸν autem ipsum moveri sive in actum perduci τῷ ὀρεκτῷ, sive re appetibili, hanc vero eo tantum movere, quod insit in mente vel in phantasia (movere τῷ νοηθῆναι ἢ φανθασθῆναι). Jam vero patet, in virtute ethica, quae est ὀρεκτικόν τι (est enim ἕξις προαιρετική), illud in affectibus medium inter nimium et parum esse τὸ ὀρεκτόν, sive rem appetendam, hocque, ut appetendi vim movere possit, mente et cogitatione informatum esse oportere. Ex hisce patet, virtutem ethicam duplici modo a mente et ratione pendere, primum, ut illud inter nimium et parum medium recte concipiatur, deinde ut mentis cogitatione conceptum appetitui vel potius voluntati se praebeat. Horum autem gravissimum est recte cognoscere, quid in affectibus inter nimium et parum medium sit. Quare Aristoteles disputatione de virtutibus ethicis absoluta Ethicorum lib. VI. disputationem de ipsa recta ratione instituit, hanc proponens quaestionem, τίς ὁ ὀρθὸς λόγος καὶ τούτου τίς ὅρος.[2])

Si consideramus hanc ipsam quaestionem, τίς ὁ ὀρθὸς λόγος καὶ τίς αὐτοῦ ὁ ὅρος, facile intelligitur, Aristotelem non quaerere *ipsius rationis* definitionem in universum, (αὐτοῦ τοῦ λόγου) verum ejus rationis, quae jam *recta* sit (τοῦ ὀρθοῦ λόγου) id est quaerere, ipsa rationis rectitudo (ἡ ὀρθότης τοῦ λόγου) in quo consistat. Namque Aristoteles sententia facultas intelligendi sive ratio, (νοῦς, λόγος ct.) numero una eademque est sive ad res theoreticas sive ad practicas pertinet, et diversa tantum fit ipsis his rebus diversis ad quas adhibetur;[3]) agiturque nostro loco de ea solum rationis comparatione, qua in rebus practicis *recta* efficiatur. Hoc autem, ut plane patefaciat Aristoteles, ab ipsis summis animi facultatibus orditur.

Itaque provocans ad divisionem animi jam antea propositam in τὸ λόγον ἔχον et τὸ ἄλογον, rursus τοῦ λόγον ἔχοντος

---

[2]) 1138 b 34.

[3]) Probavit Neuhaeuser: Aristot. Lehre von dem sinnlichen Erkenntnisvermögen und seinen Organen p. 1—19.

duas distinguit partes, alteram, qua eas cognoscamus res, quarum principia se aliter habere non possint (sunt ea, quae alias τὰ ἀεὶ καὶ ἐξ ἀνάγκης ὡσαύτως ἔχοντα dicuntur) alteram, qua de rebus quaeramus, quae aliter etiam se possint habere (ea, quae alias τὰ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ὑπάρχοντα appellantur); namque ad cognitionem rerum genere diversarum etiam partes animi genere diversas requiri, quoniam cognitio non fiat nisi aliqua partis cognoscentis ad rem cognoscendam accomodatione ac similitudine.[a]) Partem priorem appellat τὸ ἐπιστημονικόν, posteriorem τὸ λογιστικόν. Etenim τὸ λογίζεσθαι idem esse atque τὸ βουλεύεσθαι, neminem autem consultare de eis, quae aliter se habere non possint.[b])

Ut generaliter designet, quod utriusque partis munus sit atque inde propositam illam quaestionem absolvat, Aristoteles generalem quandam de cognoscendi atque agendi principiis sententiam affert. Tria, inquit, in anima inveniuntur, quae actionis et veritatis causae sunt: sensus, mens, appetitus; ex his autem sensus actionis principium non est; id quod inde intelligitur, quod bestiae, tametsi sensu sunt praeditae, actionis (πράξεως) tamen participes non fiunt.[4])

Sensus igitur, vel potius, quae in animae parte irrationali cum sensitiva phantasia conjunctus est appetitus, non gignit πρᾶξιν. Quare in bestiis ac pariter etiam in infantibus ratione nondum utentibus agendi principium non inest. Itaque sensu remoto relinquitur, ut τὸ ὀρεκτὸν vel res appetibilis concipiatur a mente vel ratione. Jam vero Aristoteles pergit

---

[a]) Si Aristoteles hoc loco loquitur de diversis animi partibus, non intelligit partes numero diversas ac separatas, ut Plato in Timaeo, sed diversas solum ejusdem partis facultates; id quod et ex tota Aristotelis ratione patet et cum iis consentit, quae antea jam diximus.

[b]) λογίζεσθαι proprie est λόγον, id est rationem adhibere, ratione aliquid efficere, hoc autem primum esse potest aliquam rem ad calculos revocare calculisque, quanta sit, computare; deinde ex positis quibusdam aliud concludere, ratiocinari. Hoc loco, et in universum in ethica Aristoteles λογίζεσθαι dicit eam mentis deliberationem et consultationem, qua in practicis ea, quae ad rem quandam adsequendam facienda sint, inveniantur.

[4]) 1139 a 17.

(a 18.): quod in cogitatione (διανοίᾳ) est affirmatio et negatio, hoc in appetitu est rei alicujus persecutio et fuga. Quare, quoniam virtus ethica est habitus ad proponendum aliquid idoneus, (ἕξις προαιρετική) propositio autem est appetitus, qui deliberatione definitus est, tum, si propositio est bona, deliberationem veram et appetitum rectum esse oportet, et eadem et illam affirmare, et hunc persequi. Repetit igitur Aristoteles hoc loco ab ethicae virtutis definitione supra prolata haecce: ‚ἡ ἀρετὴ — ἕξις προαιρετική'; προαίρεσις autem, ut lib. III. cap. 4 — 6. explicatur, est appetitus, qui tendit ad eas res singulares, quas quis deliberando fini cuidam proposito inservire atque in potestate sua sitas esse invenit, id est appetitus, qui deliberatione definitus est (ὄρεξις βουλευτική) [5]).

Hanc propositionis notionem: ‚ὄρεξις βουλευτική' Brandis vertit: „eine auf Beratung beruhende Strebung" et verba: τὸν λόγον δεῖ ἀληθῆ εἶναι: „Der zu Grunde liegende Begriff muss wahr sein." Utrumque Walter ab Aristotelis sententia alienum esse censet. Illo enim auctoritatem appetitus nimis augeri, minui deliberationis; hoc autem novi aliquid afferri atque omnino rationi nimium tribui. Nam eo quod dicatur: der zu Grunde liegende Begriff muss wahr sein, flagitari, ut ratio, qua in re consistat τὸ οὗ ἕνεκα, vere constituat. Ac dicit l. l. p. 66: Brandis fasst die βουλή und die ὄρεξις in eins zusammen und sieht in der ὄρεξις ὀρθή schon die ganze ὄρεξις βουλευτική qualifiziert, einen qualifizierten Vorsatz, nicht eine qualifizierte ὄρεξις. Hierdurch wird der λόγος ἀληθής frei und der wahre Begriff schleicht sich ein. Ipse autem hoc loco τὸν λόγον idem significare censet ac τὴν βουλήν. Hanc autem in eo tantum spectari, quod practici syllogismi propositiones majores et minores cogitandi regulis componantur; ac τοῦ λόγου veritatem nullam esse nisi formalem. Nihil aliud igitur quam formalem illam ratiocinationem practicae rationis munus esse; causam finalem autem appetitui uni deberi, vel ethicae virtuti, quae sit appetitus unius perfectio. Ac dicit l. l. p. 74. Die praktische Vernunft ist weder eine

---

5) 1113 a 10: ἡ προαίρεσις εἴη βουλευτικὴ ὄρεξις τῶν ἐφ' ἡμῖν. ἐκ τοῦ βουλεύσασθαι γὰρ κρίναντες ὀρεγόμεθα κατὰ τὴν βούλευσιν.

die Zweckbestimmung erkennende, noch eine das Zweckgemässe blos denkend subsumierende Vernunftthätigkeit — sie vollzieht als bewegende Ursache die reale Subsumption."[6]) Causam finalem igitur Walter appetitui seorsum constanti, τὴν προαίρεσιν autem τῇ βουλῇ vel τῷ λόγῳ attribuendam esse contendit; contra Brandisium suspicatur causam finalem rationi, propositionem autem appetitui potissimum adscripsisse.

Ad ejusmodi autem rationem inter τὴν ὄρεξιν atque τὸν λόγον intercedentem Aristotelis verba spectare, tamquam non solum cogitatione sed etiam reapse volendi et cogitandi vires dirimi possint, omnino negandum est. Immo vero ex his: ‚ἔστι δ' ὅπερ ἐν διανοίᾳ κατάφασις καὶ ἀπόφασις τοῦτ' ἐν ὀρέξει δίωξις καὶ φυγή.' — ‚καὶ τὰ αὐτὰ τὸν μὲν φάναι τὴν δὲ διώκειν'[7]) jam patet, appetitus rectitudinem rationis veritatem et item rationis veritatem appetitus rectitudinem ipsa re continere et cogitatione tantum alteram ab altera sejungi posse. Plurimum autem refert id ipsum, quomodo, qui in hac re cernitur concentus exsistat, vel potius ex quo exoriatur. Nam appetitum qui in propositione cernitur, ad propositum quendam finem referendum esse apparebit. Quaeritur autem, finis ipse quomodo fiat, ut et sub rationem (sc. practicam) et sub appetitum cadat, id quod gravissimum est.

Propositionis notione prolata (ἡ δὲ προαίρεσις ὄρεξις βουλευτική) dicit Aristoteles: Siquidem propositio est bona, τὸν λόγον verum et τὴν ὄρεξιν rectam esse oportet. Dubitari igitur non potest, quin propositionis principium hoc loco λόγον intellexerit. Hic autem est ὁ λόγος ὁ ἕνεκά τινος. Nam Aristoteles ipse dicit: Actionis principium, id a quo oritur motus, id est causa efficiens, est propositio (ἡ προαίρεσις), propositionis autem

[6]) In universum quidem recte, sed non satis dilucide, de hac re dicit Zeller, Philosophie der Griechen 2. Aufl. II. 2. p. 502. 2. Sofern sich die Vernunft auf Zweckbestimmungen bezieht und auf das Begehren bestimmend einwirkt, heisst sie die practische oder überlegende Vernunft. p. 450,3: Die practische Vernunft ist dasjenige Vermögen der Vernunft, kraft dessen sie die Zwecke bestimmt, die Mittel zu ihrer Verwirklichung aufsucht und die Grundsätze für das Handeln feststellt, das aufs Handeln bezügliche Denken.

[7]) 1139 a 21—25.

principium est appetitus et ὁ λόγος ὁ ἕνεκά τινος, id est cogitatio vel consideratio rei alicujus appetendae. Haec autem cogitatio, inquit, est practica (αὕτη μὲν οὖν ἡ διάνοια πρακτική 1139 a 26). Atque haec, quia ad rem quandam appetendam sive propositum quendam finem spectat, ea ipsa de causa et appetitum continet et ad agendum valet. Jam vero Aristoteles dicit infra 1139 a 35: Cogitatio enim ipsa nihil movet praeter eam, quae pertinet ad finem quendam atque est practica (ἡ ἕνεκά του καὶ πρακτική). Ad indicandum discrimen, quod inter practicam et poëticam rationem intercedat, subjungit: αὕτη γὰρ καὶ τῆς ποιητικῆς ἄρχει· ἕνεκα γάρ του ποιεῖ πᾶς ὁ ποιῶν, καὶ οὐ τέλος ἁπλῶς ἀλλὰ πρός τι καὶ τινὸς τὸ ποιητόν· ἀλλὰ τὸ πρακτόν· ἡ γὰρ εὐπραξία τέλος.

Ea igitur cogitatio, qua in rebus practicis intelligitur, quibus ad finem quendam propositum perveniamus, Aristotelis sententia est practica. Haec autem cogitandi opera τῷ νῷ ipsi tribuenda est. Nam Aristoteles ipse in lib. de anima τὴν ψυχὴν νοητικήν vel τὸν νοῦν principium esse dicit, quo cogitet anima ac judicet.[8]) Atque ἡ διάνοια facultas τοῦ νοῦ ita propria esse videtur, ut aliis locis substituat eam pro νῷ sive theoretico sive practico. Itaque etiam in nostri capitis fine id quod substantivo nomine νοῦς appellatur, adjectivo διανοητικός mandatum est (διὸ ἢ ὀρεκτικὸς νοῦς ἡ προαίρεσις ἢ ὄρεξις διανοητική).[9]) Qua de causa minime mirum est, quod in eodem capite Aristoteles dicit: διὸ οὔτ' ἄνευ νοῦ καὶ διανοίας ἡ προαίρεσις,[10]) nec quaerendum est, quid hae notiones differant.

Τοῦ λόγου τοῦ ἕνεκά τινος vel τῆς διανοίας πρακτικῆς veritatem, hoc est practicam veritatem Walter, ut jam supra dixi, formalem tantum esse contendit. Verum refutatur hoc jam iis, quae Aristoteles ipse de perfectione τῆς βουλῆς dicit (lib. VI. cap. 9.). Τὴν εὐβουλίαν enim rectitudinem quandam esse dicit. Sed εὐβουλίαν non eam esse quae ad quemlibet finem spectet, hoc est, non formalem tantum rectitudinem esse, verum

8) lib. III. cap. 4, 429 a 13: λέγω δὲ νοῦν ᾧ διανοεῖται καὶ ὑπολαμβάνει ἡ ψυχή.

9) 1139 b 4. 10) 1139 a 33.

eam, quae spectet ad bonum finem ita, ut ipsa sit τοῦ ἀγαθοῦ τευκτική. Non minus autem ex iis, quae in lib. VI. cap. II. de practica veritate scripta sunt, illud Walteri ab Aristotelis sententia plane alienum esse intelligitur. Τὸν λόγον (sc. τὸν ἕνεκά τινος), inquit Aristoteles, oportet verum esse, si quidem propositio est bona; haec autem veritas est practica. Τῆς δὲ θεωρητικῆς διανοίας, ut haec integra afferam, καὶ μὴ πρακτικῆς μηδὲ ποιητικῆς τὸ εὖ καὶ κακῶς τἀληθές ἐστι καὶ ψεῦδος· τοῦτο γάρ ἐστι παντὸς διανοητικοῦ ἔργον, τοῦ δὲ πρακτικοῦ καὶ διανοητικοῦ ἡ ἀλήθεια ὁμολόγως ἔχουσα τῇ ὀρέξει τῇ ὀρθῇ.[11])

Τῆς πρακτικῆς igitur διανοίας vel τοῦ πρακτικοῦ νοῦ veritas est ea, quae perinde se habet ac rectus appetitus, hoc est, quae pertinet ad eundem finem bonorum, ad quem tendit rectus appetitus. Nam hoc Aristotelem voluisse facile intelligitur ex his ejus ipsius sententiis: Finis, qualiscumque est, pendet ab habitu ethico. (cf. VI. cap. XIII ἡ ἀρετὴ τὸ τέλος ποιεῖ ὀρθόν). Idem finis autem, ad quem ethica virtus, quae est ὀρεκτικόν τι, tendit, in propositione cernitur, si quidem propositio ejusdem est rei singularis, qua deliberatione absoluta finem illum perfici posse inventum est. Jam vero dicit Aristoteles: διὸ οὔτ' ἄνευ νοῦ καὶ διανοίας οὔτ' ἄνευ ἠθικῆς ἐστιν ἕξεως ἡ προαίρεσις.[12]) Ex hisce patet, practicam veritatem etiam finis ipsius rectitudinem continere, hoc est veritatem esse, quae non solum in recte cogitando, sed etiam in recte volendo spectetur, itaque τῷ εὖ et κακῶς discernatur. Namque finis et propter finem etiam propositio et sub cogitationem vel rationem et sub appetitum cadit. Itaque nec finis nec propositionis est veritas tantum, sed rectitudo.[13])

Τοῦ πρακτικοῦ νοῦ igitur veritas, vel τοῦ λογιστικοῦ, quod ad practicas res pertinet, perfectio non solum in recte cogitando, sed etiam in recte volendo consistit. Atque ea de causa haec perfectio ὀρθότης atque ὁ λόγος, cujus est haec perfectio, dicitur ὀρθός. Quod autem Aristoteles non dicit: practica veritas est ea, quae continet etiam rectum appetitum, sed: est

---

[11]) 1139 a 26—30. [12]) 1139 a 33.

[13]) cf. 1112 a 6: καὶ ἡ μὲν προαίρεσις ἐπαινεῖται τῷ εἶναι οὗ δεῖ μᾶλλον ἢ τῷ ὀρθῶς.

ea, quae ὁμολόγως ἔχει recto appetitui, hoc ipso indicavit, quomodo intellectus practicus ad veritatem illam perveniat, vel ex quo veritas illa exoriatur.

Scientia moralis quaerit id quod in hac re generale est (τὸ καθόλου). Id autem ita cognoscitur, ut ab iis, quae experientia cognita sunt, progrediamur ad principia, id quod jam supra vidimus (cap. II.). Haec enim Aristotelis sententia ratio practica non a priori, ut dicunt, comprehendit. Neque etiam censet, scientiam moralem discendo acquiri.[14]) Immo vero magna diligentia refutat lib. VI. cap. XIII., τῷ εἰδέναι tantum ea quae bona atque honesta sint, nos ad recte agendum idoneos esse, si quidem ea bono viro facienda sint, ac virtutes sint habitus et justum esse non minus quam sanum esse dicatur τῷ ἀπὸ τῆς ἕξεως εἶναι. Atque eodem capite refutat illud Socratis, ethicas virtutes esse φρονήσεις vel λόγους. Quam impugnationem renovat in lib. VII. cap. III., ubi reicit et illud: virtutem esse ἐπιστήμην, ἧς μηδὲν κρεῖττον, et hoc: in homine intemperante (ἀκρατεῖ) non ἐπιστήμην sed δόξαν inesse itaque fieri ut ille se det voluptatibus. Ac ne illud quidem concedit, virtutem esse habitum κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον, tamquam ratio per se ad rectum habitum comparandum valeat, sed ethicam virtutem judicat habitum esse μετὰ λόγου.

Ἡ ἀρετή, Aristoteles ait, τὸ τέλος ποιεῖ ὀρθόν,[15]) docetque rerum practicarum principia perinde se habere ac virtutes ethicas.[16]) Inde autem non sequitur illud quod contendit Walter, ut finis rectitudo recto appetitui seorsum constanti vel ethicae virtuti, quae sit appetendi perfectio, debeatur. Immo vero jam supra vidimus τὸ ὀρεκτόν, ad quod ethica virtus tendat, hoc est, id quod in affectibus inter nimium et parum medium est, ratione informatum esse oportere, itaque gravissimum esse, ut ratio hoc inter nimium et parum medium recte cognoscat. Quid autem valeat illud: rectum appetitum

---

[14]) 1151 a 18: οὔτε δὴ ἐκεῖ (sc. ἐν τοῖς μαθηματικοῖς) ὁ λόγος διδασκαλικὸς τῶν ἀρχῶν οὔτε ἐνταῦθα (sc. ἐν ταῖς πράξεσι).

[15]) cf. 1144 a 7: ἡ μὲν γὰρ ἀρετὴ τὸν σκοπὸν ποιεῖ ὀρθόν· 1144 a 20: τὴν μὲν προαίρεσιν (i. e. propositum finem) ὀρθὴν ποιεῖ ἡ ἀρετή.

[16]) 1178 a 16.

vel ethicam virtutem finem bonorum rectum reddere, facile intelligitur ex his Aristotelis verbis: ἀλλ' ἀρετὴ ἢ φυσικὴ ἢ ἐθιστὴ τοῦ ὀρθοδοξεῖν περὶ τὴν ἀρχήν.[17]) Requiritur igitur ad rectam de bonorum fine opinionem comparandam inclinatio quaedam τοῦ ὀρεκτικοῦ ad bonum atque honestum. Quae primum quidem pendet a recta indole, τῇ εὐφυίᾳ, quae divinitus nobis quasi donum contingit. Qua de causa Aristoteles in lib. III. cap. VII., ubi disputat de quaestione illa difficillima, ipsine virtutis auctores simus necne, non acquiescit in hac sententia: „singulas actiones penes nosmet ipsos esse itaque etiam habitum ethicum, qui ex singulis actionibus exsistat; sin autem habitus ipsi auctores simus, etiam de bonorum fine opinionem in arbitrio nostro positam esse; verum ipse sibi opponit, fieri etiam posse, ut aliquis illam de bono opinionem natura praefinitam esse dicat pro uniuscujusque indole. Atque contra hanc sententiam sic adversatur: aut non natura finis bonorum qualiscumque est, unicuique apparet, verum hoc aliquo modo in ipsius arbitrio positum est, aut finis quidem naturalis est, penes nosmet ipsos autem est reliqua facere."

Deinde illa ad bonum atque honestum inclinatio recte adsuescendo, id est rectae educationi debetur, quae gravissimum adjumentum aestimandum, quo vera virtus ethica nitatur; cui Aristoteles Platonem secutus propositum esse statuit, ut liberi a primis annis eo adducantur, ut iis rebus aut laetitia aut dolore afficiantur, quibus oporteat.[18]) Educatoris igitur prudentia quodammodo rectrice a primis annis appetitiones ad res honestas traduci oportet. Sin autem aetas inferior aut bonae indoli aut grandioris aetatis praeceptis obtemperando ad ethicam perfectionem quandam pervenerit, haec perfectio non jam vera virtus est, sed habitus similis virtuti. Ad quem simulac ὁ νοῦς accesserit, vera virtus exsistet.[19]) Non phantasia sensitiva τὸ ὀρεκτὸν ut ὀρεκτόν, sive res appetibilis ut appetibilis constituitur, sed ratione, quae ad τοῦ οὗ ἕνεκα notionem ascendit, atque qua in re superiores bonorum fines atque ipse supremus, τὸ εὖ ζῆν, consistant, recte concipit. Non autem ratio per se ipsa intelligit,

[17]) 1151 a 18. [18]) 1104 b 1. [19]) 1144 b 12.

quae sint vera agendi principia, sed percipit ea intuens phantasmata, quae insunt in anima sensitiva (De an. III. cap. VII.[20]). Ex his recipit igitur quodammodo ratio agendi principia. Sin autem iisdem phantasmatis ὁ νοῦς ad vera agendi principia dirigitur et appetitus ad perfectionem quandam adducitur, sequitur ut dianoëticae partis veritas et ethicae partis rectitudo idem habeant primordium.

Ergo, quod docet Aristoteles, ethicam virtutem finem bonorum rectum reddere, atque in capite laudato dicit, practicam veritatem ὁμολόγως ἔχειν recto appetitui, hoc ita intelligendum est: Qua in re consistat τὸ οὗ ἕνεκα, recta conceptio ita a recto appetitu pendet, ut eorum idem sit primordium. Atque ex hoc uno eodemque primordio, qui in fine proposito rationis atque appetitus concentus cernitur, exoritur.

VI. De prudentia et consultatione.

Cum recta ratione prudentiae (τῆς φρονήσεως) notio artissime cohaeret. Namque prudentia est facultas vel habitus, quo recta ratio concipitur.

Hunc habitum Aristoteles primum, ut solet, ex communi hominum sententia atque ex sermonis consuetudine in universum definit. ‚Prudens,' inquit, ‚aestimatur is, qui de iis, quae ipsi bona et utilia sint, non ex aliqua parte, veluti quae valetudine vel viribus augendis inserviant, sed quae omnino ad bene beateque vivendum conducant, bene consultare potest.'

Consultatio autem (τὸ βουλεύεσθαι sive λογίζεσθαι), ut jam supra vidimus, in iis rebus occupata est, quae aliter etiam evenire possunt. In iisdem autem rebus ars quoque versatur. Atque, ut prudentia, quae finis alicujus propositi causa agenda sint, considerat atque eligit, sic ars quoque ad finem propositum singula accommodat. Qua de causa utraque dicitur ἕξις μετὰ λόγου. Attamen prudentia et ars eadem ratione discernendae sunt, qua ἡ πρᾶξις atque ἡ ποίησις; haec autem genere diversa sunt. Ἡ ποίησις enim opere externo potissimum con-

[20]) 431 a 14—17 ibd. b 1—10.

tinetur in eaque opificium finis est, quod appetitur. Τῆς πράξεως vero finis in ipsa actione positus est. Τὸ πρακτὸν enim simpliciter per se est finis, quoniam ἡ εὐπραξία est finis. Nec, qui honestum aliquid *perficit*, jam *agit* honeste, sed plurimum interest, ‚ὁ πράττων πῶς ἔχων πράττῃ.' Itaque habitum ipsum, ex quo ἡ εὐπραξία exoriatur, bonum esse oportet. Qua de causa Aristoteles notionem: ‚ἕξις μετὰ λόγου' et artis et prudentiae communem pro diversa earum natura non eo tantum accuratius definit, quod dicit ἕξιν illam aut πρακτικὴν aut ποιητικὴν esse, sed artem habitum esse docet μετὰ λόγου ἀληθοῦς, prudentiam autem habitum ἀληθῆ μετὰ λόγου, id est habitum, qui *ipse sit verus*.[1]) Habitum ipsum autem ea de causa verum dici apparet, quia scientiam quandam continet, atque eam quidem scientiam, qua superiora agendi principia atque ipsum supremum ut agendi principia cognoscuntur, i. e. scientiam, quacum volendi vis artissime conjuncta est. Qua de causa prudentia non est habitus μετὰ λόγου tantum, vel, ut saepius ait Aristoteles, non est εἰδέναι μόνον; nam hoc si esset, et discendo acquiri et oblivione obrui posset. Tendit autem illa volendi vis sive voluntas ad ipsam εὐπραξίαν. Inde patet, prudentiam jam optimum esse habitum itaque virtutem. Artis contra est etiam virtus, quae ad voluntatem vel consilium referendum est, quo quis artem exerceat Ejus enim habitus scientia potissimum est; ac perfectio ejus, si quidem in opificio tantum spectatur atque ex ejus veritate apta est, exsistit etiam, si quis malo consilio artem exerceat.[2])

Prudentiae vim Aristoteles in bona consultatione potissimum positam esse docet.[3]) Qua de causa haud parvi interesse videtur, quae ille cum de bona consultatione ipsa tum de ratione inter eam ac prudentiam intercedente judicaverit (cap. X.).

---

[1]) 1140 b 25: ὥστε ἀνάγκη τὴν φρόνησιν ἕξιν εἶναι μετὰ λόγου ἀληθῆ περὶ τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ πρακτικήν. cf. ibd. a 10 et 40; b 4.

[2]) 1105 a 33: ταῦτα δὲ πρὸς μὲν τὸ τὰς ἄλλας τέχνας ἔχειν οὐ συναριθμεῖται, πλὴν αὐτὸ τὸ εἰδέναι.

[3]) 1141 b 5: τοῦ γὰρ φρονίμου μάλιστα τοῦτ' ἔργον εἶναί φαμεν, τὸ εὖ βουλεύεσθαι.

‚Ἡ εὐβουλία,' inquit, ‚est consultatio quaedam. Quod autem, qui male consultat, peccat, qui bene, recte consultat, perspicuum est τὴν εὐβουλίαν esse rectitudinem quandam; sed nec scientiae, nec opinionis. Scientiae enim non est rectitudo; neque enim ejus est vitium. Opinionis autem rectitudo est veritas; simulque jam definitum (ὡρισμένον) est omne cujus est opinio. Verumtamen non sine ratione est ἡ εὐβουλία. Relinquitur igitur, ut sit διανοίας; *haec enim nondum enuntiatio est.* Etenim opinio non est quaestio, sed jam enuntiatio quaedam. Verum qui consultat, sive bene sive male consultat, quaerit aliquid ac ratiocinatur.'[4])

Primum igitur discrimen inter τὴν δόξαν atque τὴν εὐβουλίαν Aristoteles in eo ponit, quod illius perfectio sit *veritas*, hujus *rectitudo*. Deliberandi enim operam non vero ac falso, sed bono ac malo discerni. Eadem igitur de causa, ob quam supra τῇ προαιρέσει (Eth. III. 4: καὶ τῷ ψευδεῖ καὶ ἀληθεῖ διαιρεῖται (sc. ἡ δόξα) οὐ τῷ κακῷ καὶ ἀγαθῷ, ἡ δὲ προαίρεσις τούτοις μᾶλλον. — καὶ ἡ προαίρεσις ἐπαινεῖται τῷ εἶναι οὗ δεῖ μᾶλλον ἢ τῷ ὀρθῶς, ἡ δὲ δόξα τῷ ὡς ἀληθῶς.[5])), hoc loco τῇ εὐβουλίᾳ Aristoteles tribuit rectitudinem.

Quae vero a Waltero hujus rei profertur ratio plane reicienda est. Τὴν εὐβουλίαν enim censet rectitudinem praedicari, quia nondum sit enuntiatio quaedam; hoc enim τῆς εὐβουλίας proprium esse. Ac dicit l. l. p. 737: „Die specifische Differenz beider Begriffe liegt darin, dass die Meinung einen bestimmten Erkenntnisinhalt in sich schliesst, mag dieser nun wahr oder unwahr sein, und demgemäss auch nur einen Unterschied bezüglich der Wahrheit zulässt, während die εὐβουλία als ζητεῖν ihr Objekt noch ausser sich in der Zukunft hat, daher keine objektive ἀλήθεια, sondern nur eine ὀρθότης, *formale Wahrheit* (?) *haben kann.*" Haec Walteri, sed non Aristotelis ipsius est sententia.[6])

Εὐβουλία est rectitudo quaedam deliberationis. Haec rectitudo autem *non in formali* tantum syllogismi practici veritate cernitur. Rectitudo enim, ut ait Aristoteles, ad diversas partes spectat (πλεοναχῶς ἐστίν). Nam etiam qui pravus est

---

4) 1142 b 7—15. 5) 1111 b 34, 1112 a 6. 6) 1142 b 16—32.

vel intemperans e syllogismo id quod sibi proponit adsequitur, ut recte quidem ratiocinatus sit; sed ratiocinatio, quoniam a malo fine profecta est, malum aliquid adsequitur. *Bonae* autem consultationis rectitudine *bonum acquiritur*. Deinde fieri potest, ut falso judicantes de termino medio, quod facere nos oporteat, adsequamur. Ratiocinatio igitur, tametsi a malo fine proficiscitur, tamen, quoniam ipsa est falsa, pervenit ad id, quod per se laude est dignum. Ea vero deliberandi perfectione, quae dicitur εὐβουλία, non solum, *quod debemus*, sed etiam *qua via ac ratione*, adsequimur.

Quam ἡ εὐβουλία cum prudentia habeat rationem, illustratur his verbis: εἴη ἂν ὀρθότης ἡ κατὰ τὸ συμφέρον πρὸς τὶ τέλος, οὗ ἡ φρόνησις ἀληθὴς ὑπόληψίς ἐστιν.[7]) Cujus interpretationem illam plerumque adhibitam, qua pronomen οὗ ad τὶ τέλος refertur, Walter sermonis consuetudini repugnare dicit. Nam hoc si voluisset, Aristotelem pro illo: τὶ τέλος substituturum fuisse τὸ τέλος. Sed non neglegendum est, quod proxime praecedit distinctio haec: ἡ μὲν δὴ ἁπλῶς (εὐβουλία) ἡ πρὸς τὸ τέλος τὸ ἁπλῶς κατορθοῦσα, ἡ δὲ τὶς ἡ πρὸς τὶ τέλος.[8])

Nec vero, quae Walter rem ipsam respiciens interpretationi illi opponit, probanda sunt. Ita enim disputat: ‚Si prudentia τοῦ τέλους verum esset judicium, ἡ εὐβουλία atque ἡ φρόνησις ad duas res inter se diversas spectarent ita, ut altera alteri opposita esset. Ἡ φρόνησις enim constitueret τὸ τέλος, τὸ οὗ ἕνεκα, τὸν σκοπόν; ἡ εὐβουλία autem constitueret τὸ συμφέρον vel τὰ πρὸς τὶ τέλος. Praeterea ἡ εὐβουλία, si quidem τὰ πρὸς τὶ τέλος constitueret, jam esset φάσις, id quod ab Aristotele ipso negatur. Jam vero aliis locis τὰ πρὸς τὶ τέλος ad prudentiam ipsam referri constat.'

Omitto illud Walteri, τὴν εὐβουλίαν ac τὴν φρόνησιν Aristotelis sententia non ad res inter se diversas spectare, quoniam ἡ εὐβουλία prudentia comprehenditur et inquiritur, quid differant. Atque, quia prudentia τὴν εὐβουλίαν continet, minime mirum est, quod locis quibusdam τὰ καθ' ἕκαστα ad prudentiam ipsam referuntur. Inprimis autem ratiocinatio Walteri in eo est posita, quod ἡ εὐβουλία nondum sit enun-

[7]) 1142 b 32. [8]) 1142 b 29.

tiatio quaedam. Verum non recte. Aristotelis enim ipsius integra sententia est haec: ,ἡ εὐβουλία non opinionis est sed διανοίας, quia haec nondum enuntiatio quaedam.' Τὸ διανοεῖσθαι autem vel ἡ διάνοια apud Aristotelem non minus (de an. III. c. 4.), quam apud Platonem (Theaet. 189 E. Sophist. 264. A.) duas animi operas artissime inter se cohaerentes complectitur.[9]) Significat enim: considerare aliquid secum atque id quo hoc absolvitur i. e. judicium. Illud proprie dicitur διανοεῖσθαι, hoc autem apud Platonem δόξα, apud Aristotelem modo δόξα modo, et id plerumque, ὑπόληψις appellatur. Ἡ διάνοια igitur, cujus est ἡ εὐβουλία, tametsi nondum judicium quoddam est, tamen comprehendit etiam judicium. Nec vero ἡ εὐβουλία ipsa jam perfecta, priusquam ad judicium quoddam pervenit. Absolvitur autem propositione. Τὸ ἀφωρισμένον βουλευτὸν enim, ut ait Aristoteles, est προαιρετόν. Τὴν προαίρεσιν autem praecedit vel subsequitur judicium, quo quae res singularis gerenda sit, proponitur.

Prudentia igitur, quatenus ad ea, quibus ad finem quendam perveniamus, constituenda pertinet, est εὐβουλία. Sed cum ἡ εὐβουλία a recto quodam fine proficiscatur — θέμενοι τέλος τι σκοποῦσι πῶς ἔσται[10]) — de fine ipso verum judicium prudentiae tribuitur.[11])

VII. De mente.

Consultationem in superioris capitis fine propositione ad effectum adduci vidimus. Propositio autem, quoniam est principium, a quo actio oritur, pertinet ad res singulares; actio enim in rebus singularibus versatur. Consultationem igitur ad res singulares (τὰ καθ' ἕκαστα) pertinere oportet. Quae-

[9]) prob. Neuhaeus. l. l. p. 9. [10]) 1112 b 15.

[11]) cf. Prantl, Ueber die dianoët. Tugenden in der Nic. Eth. d. Ar. p. 18: Die εὐβουλία giebt das Richtige des Was, des Wodurch und des Wann für einen bestimmten Zweck, für welchen die φρόνησις im ersten Stadium die ἀληθὴς ὑπόληψις ist. Durch die εὐβουλία also wird die φρόνησις in den Stand gesetzt, nun für einen bestimmten Zweck als befehlend aufzutreten, d. h. ἐπιτακτική zu sein.

ritur quomodo consultationi vel potius τῇ διανοίᾳ, cujus est consultatio, τὰ καθ' ἕκαστα appareant. Qua de re Aristoteles in lib. VI. cap. XII. agit. Ibi legimus:

Καὶ ὁ νοῦς τῶν ἐσχάτων ἐπ' ἀμφότερα· καὶ γὰρ τῶν πρώτων ὅρων καὶ τῶν ἐσχάτων νοῦς ἐστι καὶ οὐ λόγος. καὶ ὁ μὲν κατὰ τὰς ἀποδείξεις τῶν ἀκινήτων ὅρων καὶ πρώτων, ὁ δ' ἐν ταῖς πρακτικαῖς τοῦ ἐσχάτου καὶ ἐνδεχομένου καὶ τῆς ἑτέρας προτάσεως.[1])

Quod jam Giphanius hunc locum obscurissimum esse judicavit, interpretandi studia id comprobasse videntur. Quot enim hujus loci interpretationes, totidem paene conjecturae diversae nobis occurrunt. Ac primum ambigitur, quid valeat oppositio illa particulis ὁ μὲν . . . ὁ δὲ indicata. Verbis ipsis autem vim adhibere mihi videntur cum ii, qui hoc loco de practica tantum mente agi, tum ii, qui practicae mentis ne mentionem quidem fieri censent. Verum duo genera rerum noscendarum (οἱ πρῶτοι ὅροι . . . τὰ ἔσχατα) atque duo mentis munera (ὁ μὲν κατὰ τὰς ἀποδείξεις . . . ὁ δ' ἐν ταῖς πρακτικαῖς), alterum θεωρητικόν, alterum πρακτικόν, hoc loco discernuntur. Namque ad cognitionem rerum genere diversarum Aristotelis sententia diversae ejusdem mentis partes requiruntur (cf. p. 14).

Jam quaeritur ipsa illa ἔσχατα τοῦ νοῦ πρακτικοῦ quaenam dicantur. Ἔσχατον enim ab Aristotele ipso dicitur ea res singularis, quae practici syllogismi conclusione continetur. At hujus est λόγος itaque removetur illo: τῶν ἐσχάτων νοῦς ἐστιν καὶ οὐ λόγος. Praeterea hoc ἔσχατον non intelligendum esse hoc loco, indicant verba ipsa: τοῦ ἐσχάτου καὶ ἐνδεχομένου καὶ τῆς ἑτέρας προτάσεως. Quae igitur practici syllogismi *altera sive minore propositione*, sed *non conclusione* continetur res singularis est ultimum de quo hoc loco agitur.

Hujus ultimi oportet αἴσθησιν *habere, haec autem est* νοῦς.[2])

Jam in lib. VI. cap. IX. commemoratur αἴσθησις quaedam, quae non sit τῶν ἰδίων; superioris igitur ordinis esse videtur. Ibi enim legimus: „Prudentiam autem non scientiam esse ap-

[1]) 1143 a 35 b 3. [2]) 1143 b 1.

paret; ad extremum enim pertinet. Nam tale est τὸ πρακτόν. Menti igitur quodammodo contraria est. Mens (νοῦς) enim eorum est terminorum, quorum ratio afferri non potest. Prudentia est extremi, quod non scientia sed sensu percipitur, non illo, cui propriae qualitates subiectae sunt, (τὰ ἴδια), *sed eo, quo sentimus in rebus mathematicis extremum esse triangulum;* nam illic (sc. in trigono) quoque (sensus de figuris cogitans easque dissolvens) desinit. Verum hic (sc. sensus mathematicus) sensus est potius quam prudentia; illius autem alia species est.[3])

Componitur igitur prudentiae αἴσθησις cum eo sensu, quo percipitur in rebus mathematicis extremum esse triangulum. Jam Trendelenburg[4]) ad analogiam illustrandam confugit ad eum locum, ad quem delegat etiam id quod proxime sequitur: ‚τὸ ζητεῖν δὲ καὶ τὸ βουλεύεσθαι διαφέρει'. In lib. III. cap. V. enim Aristoteles de consultandi ratione in hunc modum disputat: ‚Non de ipso fine consultatur, sed qui certum quendam finem sibi proposuit, consultat, quibus ad eum perveniat. Quod si compluribus rebus fieri posse visum est, ex his facillima elegitur. Haec autem est tamquam novum τέλος, atque iterum quaeritur, quomodo hoc impetretur. Itaque consultando descenditur ad illud πρῶτον αἴτιον ἐν τῇ γενέσει, ad quod meditandi opera pervenit ultimum. Ὁ γὰρ βουλευόμενος, ut hoc integrum afferam, ἔοικε ζητεῖν καὶ ἀναλύειν τὸν εἰρημένον τρόπον ὥςπερ διάγραμμα'.[5])

Ad hanc usque ad ultimum descensionem spectat illud (1141 a 23): στήσεται κἀκεῖ. Desinit enim meditandi opera et in rebus mathematicis et in rebus practicis, simulac aliquid ultimum esse intelleximus.

Discrimen autem Aristoteles inter eam αἴσθησιν, qua in rebus mathematicis et eam, qua in rebus practicis aliquid ultimum esse intelligimus, constituit.[6]) Quod quidem Walter suo jure in eo positum esse censet, quod differat τὸ ζητεῖν et τὸ βουλεύεσθαι. Quam vero hujus rei profert explica-

---

[3]) 1142 a 25—30. [4]) Historische Beiträge zur Gesch. der Philos. II. p. 388. [5]) 1112 b 20.

[6]) 1142 a 28: στήσεται κἀκεῖ· αὕτη δὲ μᾶλλον αἴσθησις ἢ φρόνησις, ἐκείνης δ' ἄλλο εἶδος.

tionem funditus refutandam esse puto. Τῷ βουλεύεσθαι enim cum τῷ ζητεῖν nihil aliud quam τὸ ἀναλύειν commune esse dicit. Hoc autem ad finem perducto intercidi etiam similitudinem. Itaque si consultatio de rebus practicis hunc finem egrediatur aliudque etiam munus contineat, in hoc munere ipso differentiam illam inter τὸ βουλεύεσθαι et τὸ ζητεῖν ponendam esse. Hoc munus autem in eo spectari, quod τὸ ἔσχατον τῆς ἀναλύσεως fiat τὸ πρῶτον τῆς γενέσεως. In mathematica analysi enim τῆς γενέσεως necessitudinem non cerni, sed ultimo illo reperto τὴν γένεσιν ipsam jam quodammodo perfectam esse.

Hanc τοῦ ζητεῖν et τοῦ βουλεύεσθαι distinctionem Aristotelem non fecisse, comprobant haec ipsius verba: φαίνεται μὲν ζήτησις οὐ πᾶσα εἶναι βούλευσις, οἷον αἱ μαθηματικαί, ἡ δὲ βούλευσις πᾶσα ζήτησις, καὶ τὸ ἔσχατον ἐν τῇ ἀναλύσει πρῶτον εἶναι ἐν τῇ γενέσει.[7]) In utroque igitur quaerendi genere flagitatur, ut τὸ ἔσχατον ἐν τῇ ἀναλύσει fiat πρῶτον ἐν τῇ γενέσει. Jam vero mihi nihil arcessiti ad discrimen illud explicandum opus esse videtur. In eo enim positum, quod τὸ βουλεύεσθαι et τὸ ζητεῖν ad diversos fines spectant. Τοῦ ζητεῖν enim finis cognitio est, τοῦ βουλεύεσθαι autem actio. Itaque in τῷ βουλεύεσθαι praeter cogitandi operam cernitur appetitus agendi, quo efficitur, ut τὸ βουλευτόν, postquam aliquid ultimum esse intellectum est, sit προαιρετόν. Τὸ βουλεύεσθαι igitur eo ad effectum adducitur, quod practico fini aliquid ultimum esse sentimus. Hanc αἴσθησιν autem diversam esse ab ea, qua theoreticae cuidam quaestioni aliquid ultimum esse intelligimus, jam ex eo apparet, quod ‚ultimum esse' ipsum non in iisdem rebus positum est. Practico enim fini ea res singularis est ultimum, qua principium τοῦ οὗ ἕνεκα ad nos refertur. Principium autem eo ad nos refertur, quod invenimus τὸ ἔσχατον nobis ipsis δυνατόν. Δυνατὰ δέ, inquit Aristoteles, ἃ δι' ἡμῶν γένοιτ' ἄν· τὰ γὰρ διὰ τῶν φίλων δι' ἡμῶν πως ἐστίν. ἡ ἀρχὴ γὰρ ἐν ἡμῖν.[8])

In rebus practicis igitur nos a proposito quodam fine ad ἔσχατον, quod nobis ipsis sit δυνατόν, descendere oportet.

[7]) 1112 b 16. [8]) 1111 b 27.

Hanc autem descensionem, priusquam ad ultimum sensu perceptum perveniat, omnino longiorem viam percurrere apparet, quam quae in quaestione mathematica descensio cernitur. Atque ea de causa Aristoteles dicere mihi videtur, αἴσθησιν, qua in rebus mathematicis triangulum ultimum esse sentiamus, magis αἴσθησιν esse quam prudentiam.

Prudentiae αἴσθησιν apparuit eam esse, qua ad practicum quendam finem aliquid ultimum esse intelligamus. Opponitur autem haec αἴσθησις quodammodo menti. Nam cum mens terminorum esse dicatur, quorum non sit λόγος, prudentia dicitur extremi esse, cujus non sit scientia, sed sensus. In capite XII. autem mens extremorum in utramque partem esse dicitur; ac quia altera pars eorum in rebus singularibus versetur, ὁ νοῦς ipse dicitur αἴσθησις. Oppositio igitur irrita facta esse videtur. Quod Walter adeo non concedit, ut notionem αἰσθήσεως aliam superiore aliam inferiore loco esse contendat. Atque eam αἴσθησιν, quae in cap. IX commemoretur, per imaginem hoc nomine appellari dicit; inferiore autem loco τὴν αἴσθησιν proprie dictam esse atque eo, quod appelletur νοῦς, designari tantum. Mirum autem, quod Walter ne ipse quidem quidquam profert, quo haec designatio probetur. Gravissimum erim id ipsum, qua de causa in cap. XII. ἡ τοῦ ἐσχάτου αἴσθησις νοῦς dicatur. Hoc autem omnino intelligi non potest, nisi in analogia illa superiore loco allata consistimus atque concedimus, τῆς αἰσθήσεως notionem utroque loco eandem esse.

Generale illud judicium, in rebus mathematicis ultimum esse triangulum, referendum est ad cognitionem, quid sit triangulum. Ac generale illud judicium non minus quam haec generis cognitio menti ipsi tribuenda sunt. Sin autem sensu aliquid percipitur, quod intellecto genere contineatur, veluti quod divisione polygonii perfecta sensu percipitur triangulum, immediate hoc generali notioni et generali illi judicio adsumitur judicio hoc: haec figura est triangulum itaque ultimum. Etiam hoc judicium menti ipsi tribuendum est. Nam mens Aristotelis sententia est principium, quo duas uniuscujusque judicii partes unum esse intelligitur. Sin autem mens

adsumptionem illam perficit, sequitur, ut ipsa id quod sensu percipitur, ut sensu percipitur, cognoscat. Item practica mens est principium, quo generali finis cujusdam notioni aliquid sensu perceptum adsumitur, vel quo generalem illam notionem in aliqua re singulari sensu percepta inesse intelligitur. Ac generalis illa notio sic cum sensu conjungitur, ut hic ipse dicatur νοῦς.

Perceptio igitur τοῦ ἐσχάτου, quatenus hoc *est res singularis*, est αἴσθησις, quatenus autem *haec res singularis ad propositum quendam finem refertur, est* νοῦς. Jam vero Aristoteles sententiae illi: ‚ὁ δ' ἐν ταῖς πρακτικαῖς τοῦ ἐσχάτου καὶ ἐνδεχομένου καὶ τῆς ἑτέρας προτάσεως' subjungit hanc: ἀρχαὶ γὰρ τοῦ οὗ ἕνεκα αὗται: ἐκ τῶν καθ' ἕκαστα γὰρ τὸ καθόλου, hoc est, ultimae res singulares sunt principium τοῦ οὗ ἕνεκα sive, quoniam qua in re consistat τὸ οὗ ἕνεκα, generaliter mente informatum esse oportet, τοῦ καθόλου *consequendi.*[a]) Atque in capitis fine scriptum videmus· ‚διὸ καὶ ἀρχὴ καὶ τέλος νοῦς· ἐκ τούτων (sc. τῶν καθ' ἕκαστα) γὰρ αἱ ἀποδείξεις καὶ περὶ τούτων.' Ἀρχὴ dicitur ὁ νοῦς, quoniam, si τὸ οὗ ἕνεκα generaliter perceptum sive τὸ καθόλου in singulari quadam re inesse intelligit, hanc illi adsumit itaque, qua re singulari ad finem perveniamus vel principium τοῦ οὗ ἕνεκα constituit. Τέλος autem est idem, quoniam quam altera propositio (ἡ τελευταῖα πρότασις) continet rem singularem, simulac ultimam eam esse intellexit, in conclusionem traducit. Conclusio autem ipsa quodammodo est τέλος. Τὸ συμπερανθὲν enim, ut ait Aristoteles, in rebus practicis necesse est πράττειν εὐθύς;[9]) *actio* autem est τέλος. Sin autem eadem res singularis, quae altera propositione continetur, in conclusionem traducitur, practicas demonstrationes *de iisdem* esse apparet, *ex quibus* exoriuntur.

---

a) Ramsauer, Teichmüller, alii haec verba ad inductionem spectare dicunt. Quod si concesseris, nullam profecto invenies rationem, qua sententiae illae: ‚ὁ δ' ἐν ταῖς πρακτικαῖς . . . προτάσεως· ἀρχαὶ γὰρ . . . αὗται' inter se excipiant. Haec autem particula γὰρ indicata est. cf. Hartenstein, Ueber den wissenschaftlichen Werth der Aristotelisch. Ethik. Histor. Philos. Abh. 1870.

9) 1147 a 27.

VIII. De ipsa inter ethicam virtutem et prudentiam ratione.

Postquam cognovimus, quomodo Aristoteles et ethicam virtutem et prudentiam definiat, jam in promptu est, ut definitiones ipsas componamus atque inde, quae inter ethicam virtutem et prudentiam ratio intercedat, breviter explicemus.

Ethica virtus est ἕξις προαιρετική, quae in eo quod in affectibus inter nimium et parum medium est, versatur. Quid autem hoc medium sit, et generaliter (καθόλου) et in singulis (καθ' ἕκαστον) definitur ratione. Haec enim et qua in re consistat τὸ οὗ ἕνεκα et qua re singulari ad τὸ οὗ ἕνεκα perveniatur constituit. Ita igitur ethica virtus a ratione pendet, ut ea et ad *cognoscendum* τὸ οὗ ἕνεκα et ad *efficiendum* apta fiat. Quare Aristoteles ipse docet, ethicam virtutem esse habitum μετὰ λόγου.

Nec vero prudentia cognoscendi tantum perfectio est sive, ut ait Aristoteles, non est μετὰ λόγου tantum. Est enim ἕξις ἀληθής μετὰ λόγου πρακτική. Π ρ α κ τ ι κ ή autem non est τῷ εἰδέναι tantum, sed cum ea scientia, quae prudentia continetur, τοῦ ὀρεκτικοῦ quaedam perfectio artissime conjuncta est.

Ex hisce patet ethicam virtutem et prudentiam notione non posse divelli, quoniam prudentia et ethicam partem et dianoëticam, atque utramque quidem perfectam, complectitur; atque hinc patet Aristotelis sententia nec ethicam virtutem exsistere sine prudentia nec prudentiam sine ethica virtute. Quod comprobatur iis, quae ipse in lib. VI. cap. XIII. de ratione inter ethicam virtutem et prudentiam intercedente dicit (1144 b 30). Exponit enim, ethica virtute effici, ut in animo scopus sive finis, qui actionibus adsequendus sit, rectus fiat, quem intuens prudentia τὸν ὀρθὸν λόγον concipiat, prudentia autem ipsa ea quae ad scopum ducant comprehendi. Ex his autem non sequitur, ut Aristoteles in ethica disciplina explicanda circulo quasi utatur; immo et ethicam et dianoëticam virtutem ita explicavit, ut alteram non sine altera perfici, alteram non sine altera exsistere posse diceret. Jam vero in capite V., quo de recta ratione agitur, eadem via

mentem et rationem ad vera agendi principia dirigi et appetitum ad perfectionem quandam adduci vidimus, ut *dianoëticae* partis veritas et *ethicae* partis rectitudo idem habeant primordium.

Quaeritur autem, id quod gravissimum est, sitne rationi vel menti ipsi, si quidem rectum finem concepit eumque ostendit, tanta vis tribuenda, ut etiam affectibus oppugnantibus in eodem fine perseveretur. De qua re Aristoteles ipse in Eth. Nic. libro VII. accuratius disputavit. Quo loco non in universum statuere ausus est, fieri posse, ut, qui rectam scientiam sibi acquisiverit, affectibus oppugnantibus contra hanc ipsam scientiam agat. Verum, quamquam concedit, τῆς κυρίως ἐπιστήμης μηδὲν esse κρεῖττον, tamen scientiam, quae rectum bonorum finem ostendat, non omnino per se ad hunc finem efficiendum sufficere. Namque docet (l. l. cap. III.) in homine intemperante (ἐν τῷ ἀκρατεῖ), qui habeat quidem veram scientiam, affectibus τῷ ὀρθῷ λόγῳ oppugnantibus fieri, ut scientia ipsa *non in actum perducatur*, vel ut non sit κυρίως ἐπιστήμη. Scit quidem, inquit Aristoteles, homo intemperans, ὃ μὴ δεῖ πράττειν, quod practici syllogismi propositione majore generaliter definitur. Sed si certa quaedam res est ejusmodi, ut de ea generale illud judicium valeat, hoc non videt, id est, generale illud judicium in eo non ἐνεργεῖ. Ἐνεργεῖ enim hoc tantum judicium: haec res singularis est talis, sed non statim scitur, hanc rem τοῦ μὴ δεῖ notione contineri vel res singularis non statim generali notioni adsumitur. Judicium igitur ipsum, quo res singularis adsumitur, hoc est, propositio minor non adest. Itaque non adest κυρίως ἐπιστήμη, sed αἰσθητικὴ tantum,[1]) cum qua in animi parte irrationali ἡ ἐπιθυμία atque ὁ θυμός conjuncta sunt.

Apparet igitur ex hac de homine intemperante disputatione, rectam scientiam ea de causa non omnino per se ad recte agendum valere, quia affectibus oppugnantibus fieri possit, ut scientia ipsa non in actum perducatur. Quare recta scientia vel prudentia ethica virtute indiget, qua affectus ad certum quendam modum temperati sunt itaque efficitur, ut τὸ οὗ ἕνεκα, hoc est illud in affectibus inter nimium et parum medium, mente conceptum voluntati semper se praebeat.

[1]) 1147 b 15.

INDEX.

VITA.

Josephus Arns natus sum in vico Iseringhausen, in pago Guestphaliae Arnsbergensi, anno hujus saeculi LXVI mensis Decembris die XXVI patre Petro adhuc superstite, matre Maria ex gente Wilmes, quam jam diu de vita decessisse doleo. Fidem profiteor catholicam. Vere anni LXXXVI in gymnasio Attendornensi maturitatis testimonio auctus almam Musarum sedem Bonnensem adii, ut studiis juridicis operam navarem. Sub primi autem semenstris finem ad philosophica atque philologica studia me contuli. Autumno anni LXXXVII Monachium migravi, ubi cohorti praetoriae adscriptus officio militari satisfacerem. Anno interposito Bonnam reverti, ubi per quatuor reliquos annos litterarum fui studiosus.

Docuerunt me philos. facultatis viri clarissimi Christ Monacensis, Bender Buecheler Elter Franck Klein Loeschke Luebbert Neuhaeuser Nissen Usener Wilmanns Bonnenses. Exercitationibus philosophicis ut interessem, benigne concessit Neuhaeuser, philologicis Buecheler Luebbert Usener. Insigni Wilmannsii benevolentia factum est, ut in seminarium regium theodiscum reciperer, cujus sodalis ordinarius fui per ter sex menses. Jamque his viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas; praecipue autem Neuhaeuseri disciplinae ac comitati quid debeam, numquam obliviscar.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. *Ramsaueri et Susemihlii sententia, in Aristotelis Ethic. Nicom. lib. VI. cap. II. enuntiata quaedam superflua esse vel aliunde irrepsisse, refutanda est.*

II. *Falsa est opinio, voluntatem omnino ab intellectu pendere.*

III. *De ethicae virtutis origine Plato et Aristoteles idem fere sentiunt.*

IV. Λογικῶς *apud Aristotelem minime idem valet atque* διαλεκτικῶς *sive* ἐνδόξως *sive* οὐ πιτανῶς, *ut Waitzius Organon II. p. 353 contendit.*

V. *In Apollonio Sophista p. 120. ed. Imm. Bekker pro* ἐκ τόπου *legendum est* ἐκ ταὐτοῦ τόπου.

VI. *Augustinus primus summum certitudinis principium eam posuit sententiam, quam homo de sese ipso habet.*

VII. *Sensus natura e nervorum motibus sive mutationibus omnino non potest explicari.*

VIII. *In Etymologici Magni codice Florentino edito a Millero, Mélanges de littérature Grecque p. 205 s. v.* Λευκανία *pro* τὸν λαιμὸν καὶ τὸν σφόγγον *legendum est* τὸν λαιμὸν καὶ τὸν βρόγχον.